

Disputatio medica publica de carie ossium ... / autor Magnus Masson.

Contributors

Masson, Magnus, active 1681-1682.
Hoffman, Johann Moritz, 1653-1727.

Publication/Creation

Altdorfii : Literis Henrici Meyeri, [1681]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/u8s7cdrg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA PUBLICA
De
CARIE OSSIUM,

Quam
SVB PRÆSIDIO
VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, atq; Excellentissimi,
DN. JOH. MAVRICII
HOFFMANNI,

Philos. ac Medic. Doctoris Experientissimi, Anatom.
ac Chemiæ Prof. Publ. Celeberrimi, Facultatis Medicæ
p. t. DECANI Spectatissimi,

FAVTOVIS ac PRÆCEPTORIS
omni observantia cultu ad vitæ dies
de venerandi,

Solenni Eruditorum Censuræ
subjiciet

Responsurus AVTOR
MAGNVS MASSON,

STVTGARDIA - SVEVUS.

Ad d. XVII. Decembr.

A. O. R.

CID IDC LXXXI.

H. L. Q. C.

ALTDORFI,

Literis HENRICI MEYERI, Vniuersit. Typographi.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library



I. N. J.

Prooemium.



*O*ssa humani corporis stabilimento, rectitudini & speciei, juxta Hippocrat. lib. de Naturâ ossium t. XVII. & Guilielm. Harvæum Exercit. de Generat. Animal. Exerc. LIV. p. 219. tum nexuum firmitati, motusq; voluntarii robori data esse, neminem latere puto, quisquis Microcosmi fabricam oculis usurpaverit admirandam. Nempe enim ossa fulcra existunt & columnæ, quæ hominis figuram ita erectam sustinent, ut

- - os sublime ferat, cœlumq; tueri
Possit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Ossa sunt, quæ mollem carniū substantiam suffulciunt, ne ea in se collabendo subsideat; ossa sunt, quæ concinnè in vicem articulata, mutuâq; contiguitate copulata corpus pro diverso humane indigentia usu flexile præstant, dum musculis, motus voluntarii organis à Galeno Lib. I. de musculorum motu. cap. I. definitis, stabile principium largiuntur. Vid. plura apud Hieron. Fabric. ab Aquapend. de musculi actione Part. II. Proinde non possunt non plures actionibus familiaribus exercendis difficultates obvenire, quando in statu præternaturali ossa morbiferas patiuntur læsiones; hisce etenim, tametsi partes cæteroquin deprehendantur duriores, variis succumbunt, ita ut etiam firmissima eorundem substantia quandoq; erodatur, absumatur, deperdatur, quemadmodum in pessimo affectu CARIE dicto evenire solet: quod morbosum πᾶσιμα, quia admiratione non minus quàm contemplatione curiosâ, vel potius perscrutatione dignum

cognovi, ideò publicum aliquod Studiorum Medicorum specimen editurus, idem pro viribus ingenii declarandum sumsi. Fave benigne Lector huic conatui, equamq; gratiæ veniam indulge, si nonnulla minùs accuratè dicta videantur, scias namq; velim, me promptè cessurum meliora monituro. Sit itaq; τὸ ἄριστον

THESIS I.

Nominis cognitionem nos in scientiam ipsius rei provehere, *Galenus l. 2. Method. medend. c. 2.* non solum docuit, sed universa fermè Doctorem turba approbavit, quare in propositâ tractatione, quæ circa *ὀστέα* delibanda sunt, clarioris doctrinæ gratiâ ego etiam præmittam.

II.

Caries igitur olim dicta fuit corruptio ligni vel aliarum rerum ex vetustate, ita namq; *Plinius l. 16. Histor. Naturalis cap. 39.* scripsit: Cedri oleo perunctam materiam nec tineas nec cariem sentire. Et propriè quidem caries in lignis denominationem habuit, quando à vermiculo, qui Græcis *κίς* dicitur, erosionem passa sunt, postmodum autem omne vetustum cariosum audiit; unde recipere cariem vetustatis apud *Columellam* legimus, & apud *Ovidium*,

*Quid precer iratus? Nisi vos cariosa Senectus.
Rodat?*

Atq; inde eadem vox à Medicis arrepta, in hunc usq; diem denotat deperditionem substantiæ in partibus duris à re corrodente proveniente, & peculiarem inter morbos solutæ unitatis speciem constituentem, vid. *Dan. Sennert. Epitom. Institut. Med. l. 2. part. 1. c. 10. Lazar. Riverius Institut. Med. l. 2. Sect. 1. c. 5.* accuratè loquitur, dum docet, in osse factam incisionem transversam fracturam, rectam fissuram dici, erosionem verò cariem. *Galenus* autem *de Medic. Artis constitutione c. 6.* Quæ ex erosionem, inquit, proveniunt sc. soluti-

lutiones continui, si fiant in offe caries, si in aliis ulcus nuncupantur.

III.

Occurrit adhæc Græca vox *τερυδαύ* apud *Hipp. l. II. de Morbis Text. 7. § 24.* à verbo *τερέω* terebro five perforo deducta, (quoniam malum hoc acredine suâ ossa corrodendo quasi perforat,) quæ ab Hippocratis Galeniq; interpretibus latinâ civitate donata, & *Teredo* expressa est.

IV.

Tandem latinum insuper aliud nomen legitur, scil. *Ventositas spinæ*, quod ab *Avicennæ* interpretibus Arabicum textum *l. 4. Fen. 4. Tract. 4. c. 9.* in latinum commutantibus primò usurpatum fuisse Medicus & Polyhistor celeberrimus, *ἄν ἐν ἀγίαις*, *Georg. Hieronym. Welschius Curation. § Observation. Medicinal. Episagm. 81.* docet: De eo etiam peculiarem tractatum conscripsit *Josephus Pandolphinus à Monte Martiano*, paucis abhinc annis typis commissum & notis eruditissimis illustratum à *Viro Excell. Dn. D. Georg. Abraham. Merclino, Juniore, Physico Norimbergens. Experientissimo.* Istius verò nominis omninò hîc mentio fieri debet, quia *Pandolphinus c. 1.* testatur, præter *Nicolaum Florentinum, Job. de Vigo*, nec non *Manardum*, ceteros Doctores Latinos & Græcos sub ulceris carioli titulo ventositatem spinæ innuisse, & *c. 3.* disertis verbis cariem prædictæ ægritudinis speciem constituit: quinimò caries interna, h. e. illa, quâ ab humoribus internis interiores ossium partes primò corrumpuntur ac eroduntur ipsissima spinæ ventositas rectè dicitur in *Annotat. ad Pandolphinum c. 7.* à supra laudato *Dn. D. Merclino; Viris Celeberrimis, Job. Manardo, Job. Langio, Severino, Rolfincio* aliisq; recentioribus idem approbantibus. Synonymon ventositatis spinæ est *spina ventosa*, nam ita ordinem vocum invertere cum *Nicol. Massâ* modernis barbarismum evitaturis placuit. *Paul.*

Barbette Anatom. Practicæ Lib. I. cap. 3. spinam ventosam *Cancrum ossium* appellat, Belgico idiomate optimè dictum *een Been vreeeter*. Ita *Vir Amplissimus Nicol. Tulpius Observat. Med. L. IV. cap. 13.* existimat, olim à *Cornel. Celso Lib. VIII. de re Medic. cap. 10.* eundem affectum etiam nomine *cancri ossium* designatum esse, dubitat verò *Job. van Horne Microtechn. p. 131.* Sed quid, inquires, de *sphacelismo* sive *sideratione ossium*? R. Hoc etiam nomen eandem habere posse significationem cum *carie*, ab hâc enim nonnisi pejori corruptionis gradu differt, vid. *Cass. Hofmannus, Germanorum Galenus & Lycei hujus quondam illustre lumen, Institut. Medic. l. 3. c. 154. §. 90.*

V.

Nominali hucusque traditæ essentialem subjungo descriptionem sequentem. *Caries est solutio continui in ossibus levior aut profundior, ab humoribus acidis acerbis corrosivis aliisque putredinem inferentibus, substantiamque osseam dependentibus introducta.*

VI.

Hanc ad leges Logicas tanquam ad lapidem Lydium examinare, multum equidem non allaborabo, contentus ipsam esse Definitionem Medicam usui sufficientem. *Generis* verò in eadem locum occupat solutio unitatis sive continui, tanquam morbus, sex distinctas sub se comprehendens species, quas inter ex omnium Medicarum Institutionum Scriptorum consensu *Caries* connumeratur. *Differentia Specifica* reliquis continetur verbis, petita tam à *Subjecto*, quam etiam à *causâ*; unde *Caries* hac ratione contradistinguitur *ulceri*, utpote quod est solutio continui in carne & partibus mollibus; nec minùs differt à *fracturâ* atq; *fissurâ*, hæ namq; aliam agnoscunt causam, organon scil. durum violenter sive cum impetu continuitatem dissolvens interveniente sectione vel contusione, vid.

Mœbius in Epitom. Institut. Medic. l. 2. part. 1. c. 8. Porrò cum dicebatur cariem esse vel leviorē vel profundiorē, distinctio inter cariem & spinę ventositatem intercedens *ὡς ἐν τύπῳ* designata est. Nempe enim caries vel levior est & primū superficiaria causæ externæ scil. carni superincumbenti exulceratæ putridæq; succedens, quæ ventositati spinæ à *Pandolphino c. 1.* contradistinguitur, quia hujus causa perpetuò habetur interna; vel caries est profundior & interna, quæ interioribus ossium partibus ab humore corrosivo vel putredinali citrà præviam partium mollium incumbentium læsionem obvenit, & talis cum spinâ ventosâ coincidit. Interim notandum, cariei vocem generaliter sumtam omnem, quæcunq; ea fuerit, ossium putrefactionem ab erosione factam suo complecti ambitu.

VII.

Patet igitur qualis Caries sit morbus, nunc verò ad ejus *subjectum* pergo ulterius exponendum, quod constituunt *ossa*, hæc etenim p. n. afficiuntur, dum sanguis per intemperiem suam ipsorum naturali dispositioni & continuitati adversatur; ita liceat hūc applicare & mea facere verba *Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi DN. MAURICII HOFFMANNI, Senioris, Med. D. & in hac Universitate Prof. Primarii Celeberrimi, Potentissimi Elect. & Sereniss. Marchion. Brandenburg. Archiatri Spectatissimi, Patroni & Præceptoris mei omni observantia cultu de venerandi Synops. Institut. Medic. Disp. VII. th. 6.*

VIII.

Ossa autem partes corporis habentur duriores & sicciore, in conceptu equidem ex colliquamenti filamentis sive fibris spermaticis mollibus viscidioribusq; rectâ serie sibi invicem appositis & quasi conglutinatis efformatæ, vid. *Guilielm. Harveyus Exercitat. de Generatione Animal. LVI. pag. 232.* quas tamen postea rigidas facit & exsiccando

indurat calor potentior quotidie redditus; hanc siquidem ejusdem vim jam olim innuerunt artis antesignani, *Hippocrates in lib. de Naturâ Pueri T. IX. & XV. & Galen. lib. I. de Semine c. 10.* ut adeò non opus sit peculiari facultate officâ ab eodem *Galeno lib. I. de facultatibus* admisâ, sicuti testatur *Job. Riolan. Enchirid. Anatom. lib. I. c. 4. Anton. Molinettus, Anatomicus quondam Patavinus Primarius, Dissert. Anatomico-Pathologicarum lib. II. c. I.* inter fibras prædictas statuit carnem disponi peculiarem, quam quarti ordinis vocat, cujus beneficio ossa sanguine non femine nutriantur.

IX.

Ceterum quo tempore fundamentales quasi singulorum ossium fibræ duritiem nanciscantur solidam, pluribus edocet summæ industriæ & eruditionis *Vir Theodor. Kerckringius in Osteogeniâ foetuum*, id c. 2. generatim notans, primis duobus mensibus vix quicquam apparere osseum; nisi naturæ (quæ sæpè evagari & legem hanc servare solet omnium maximè stabilem, ut nulla sit lex, quam sibi non liceat aliquando infringere, & liberius ludere cum in rerum omnium, tum vel maximè in corporis humani conformatione) præcocitati quid maturius in osseam duritiem coque-
re aliquando alicubi lubeat.

X.

Jam verò Theatrum hîc sese mihi pandit Anatomicum ut ibidem circumspiciam, quas in ossibus perfectis partes *αὐτοψία* rimetur: Ossium namq; structurâ rectè perpensâ tum præsentis affectus exquisitior noticia, tum symptomatum circâ eundem evenientium ratio intellectu facilior erit.

XI.

Primò igitur obvelat exterius ossa (exceptis dentibus, ossibus sesamoideis, atq; sedibus reliquorum ossium, quibus mutuò articulantur) omnia membrana nervea, exquisitissimo sensu pollens, *Periostium* dicta, speciatim verò in Cranio,

nio, mutato nomine, Pericranium nuncupata, quamvis Anatomicorum Coryphæus *Th. Bartholinus* cum *Vesalio Baubino* & *Veslingio* à pericranio distinctum perioostium in superficie cranii exteriori asserat, vid. *Anatom. reform. l. 3. c. 2.* Et velamento huic exteriori sensationis beneficium debere vulgò creduntur ossa, cùm in utramq; partem adhuc disputetur, an eadem nervulos admittant, quorum ope interior etiam substantia sentiat? *Hippocrates* certè ossa dolere passim scripsit, & *Galenus* dolorem *ὀστέον* hinc inde celebrem reddidit, ita docente *Salano Æsculapio B. Rolfincio Dissert. Anatom. lib. II. cap. VI. §. 5.* Similiter *Veslingius Syntagm. Anatom. cap. 2.* nervos non ad externam tantum membranam sese diffundere, sed in recessus ossium penetrare profundiores dolorem indicio esse monet, quem non paucis in locis, cùm detecta chirurgiæ subjiciuntur, manifestant. Huc etiam facit observatio *Nicolai Masse* habita in homine ulcere cruris laborante cum detectione ossis, in quo denudato etiam à perioostio sensus erat exquisitissimus, ut neq; sine dolore tangi potuerit, & perforatum intus insignem cruciatum persenserit. Pro ulteriori confirmatione speciatim afferri posset observatio à *Cl. Bartholino Institut. Anatom. libell. IV. c. 12.* proposita de moniali, cui in dentes præ aliis longissimi ad deformitatem evitandam resecti parte nervi vestigium conspiciebatur, ut idè illa statim epileptica & convulsa ceciderit. Sed ecce contrarium alii evincere conantur, quos inter *subtilitatum magister Scaliger Exercit. 291. Sect. 2.* asurgit, affirmans semetipsum sibi ossa abruptisse ex hiantibus vulneribus absq; dolore ullo; sicuti jam olim *Aristotel. lib. 3. de Animâ cap. 3. text. 66.* ossa sentire vix credere voluit, eò quòd terræ sint. *B. Cass. Hofmann. Comm. in Gal. lib. XVI. de Usu partium cap. 2. §. 1101.* negat etiam ossa habere nervos, & rationem reddit ex *Galeno* (qui tamen dolorem *ὀστέον* aliàs concedit, uti supra ex *Rolfincio*

fincio notavimus) sequentem, quia ossa quibusdam locis sunt stabilimentum quoddam, quibusdam propugnaculum: si itaq; sentirent necesse erat, ait, partes illas sæpè gravissimè dolore, quod non rarò incurrant in alias partes, aut etiam externa quædam impedimenta; quibuscum consentit *Riolanus Encbirid. Anatom. lib. VI. cap. 4. p. 431.* In hoc verò gravissimorum Virorum dissensu litem dirimere non opis est nostræ nec ingenii, quamvis distinctio aliqua forsan hîc medium invenire posset locum, si dicamus, ossa non ubiq; tam acutè sentire, neq; tam facile impressiones sensibiles suscipere, quàm quidem solent partes molles; sentire tamen alicubi, ubi scil. fibrillæ nerveæ intra illorum poros admittuntur, quas procul dubio natura ad ea ossium loca amandavit, quæ nullum ex sensationis usu incommodum sustinere debent.

XII.

Atque inde ad reliqua ossium vasa declaranda me converto, circà quæ non minor obvenit difficultas: Nam juxta *Riolanum* quidem *l. c. arteriæ* nusquam in ossa inferuntur, si credimus *Platero*, cum nus citrà ipsarum vehiculum facile ossa pervadat, vid. alter locus *Riolan. Anthropograph. lib. V. c. 50.* Rectius tamen & tum sensui tum rationi magis consentaneum mihi videtur assertum supra laudati *Rolfincii Dissert. Anatom. Lib. II. c. 6.* arterias invehendo nutrimento destinatas ossa non præterire, quamvis in singulis demonstratu admodum difficiles sint, unde illas etiam *Columbus* atq; *Veslingius* ossibus attribuerunt, quibus inter recentiores calculum addit *Isbrandus Diemerbrœck. Anatom. lib. IX. c. 1.* duplici per motus observatione: alterâ propriâ, dum mense Septembri An. 1662. in tibiæ osse anteriori carie eroso arteriolam satis fortiter pulsantem conspexit; alterâ à *Spigelio* olim *Pata-vii* habitâ, qui in tibiæ magnâ carie substantiam ossis ab arteriolâ pertusam vidit,

vidit, cui spectaculo se adfuisse refert *Plempius*. Præterea sanguinem per arterias ad ossa effundi aliquo modo comprobare poterit *Observatio LVII.* à *Theodoro Kerckringio* in *Spicilegio suo Anatomico* proposita, ubi refert se dissecuisse puerum octavo gravidationis mense à matre ictero laborante partu exclusum, & quidem mortuum, in quo, habitu etiam corporis universo existente flavo, tanquam è cerâ confectus fuisset, loco sanguinis humor fellis instar flavus repertus fuit, & ubi ad ossa perventum, illa eodem humore atque colore flavo imbuta fuerunt. Sed factis de arteriis, quarum in ossibus absentiam qui inde concludunt, quòd conspectum fermè effugiant, non admodum acutè ratiocinantur, nam caussa etiam peculiaris subest, cur tam exiguæ existant à *Diermerbræckio* l. c. proposita; cui ex mente *Nobilissimi, Excellentissimi, atq; Spectatissimi DN. PRÆSIDIS, Patroni ac Studiorum hucusque meorum Præceptoris ad vitæ dies omni observantiae cultu singulariter de venerandi* addo, minores ossibus adultorum sufficere arteriolas, quia alimento pauco indigent propter substantiam ipsorum solidam ab Heluone nostro vitali depasci minus aptam, sicuti in mollioris texturæ partibus fluoribusq; subtilioribus evenire solet.

XIII.

Ceterum in *Venis* ossibus assignandis faciliores fuerunt *Anatomici Galenum* secuti, qui *lib. VIII. de placitis* unicuiq; ossi venam majorem vel minorem secundum ossis proportionem attribuit; dein verò *lib. XVI. de usu part. cap. ultimo* venas equidem ingredi ossa, sed adeò exiles scripsit, ut manifestè non appareant. *Adrian. Spigelius lib. II. de humani corporis fabricâ c. 4.* affirmat, venas sibi foramina in ipsis quoq; durissimis ossibus efformare, per quæ transeant, uti videre est in *Calvariâ, femore, & tibiâ*; insimul tamen in eo, (ipsi propter circulationis vel peridromi

fanguinei modum nondum tunc temporis perspectura merito condonando) versatur errore, per venas sanguinem omnium partium ultimum alimentum ad ossa deduci: Hic verò miror *Hippocratem lib. de ossium naturâ*, soli maxillæ inferiori in tanto ossium numero venas concessisse. Interim vasa hucusq; ossium exposita ob signo verbis *Cl. Dn. Dominici de Marchettis, Anatom. cap. 2*: Ossâ habent nervos, venas, arterias maximè exiguas, in principio & fine à partibus quibus adhærent.

XIV.

Porro ossâ vel manifestam intus exhibent cavitatem vel spongiarum instar foraminulenta sunt: In illâ medulla continetur nutricia à chylosis oleosis sanguinis particulis eandem fermè cum pinguedine originem naçta, & in ossibus majoribus per certas expansiones osseas reticulatas notante *Excellentissimo DN. PRÆSIDE* firmata. In foraminulentis ossibus succus medullaris vel *χυμὸς* asservatur, quem manifestè in maxillâ inferiori tum in epiphysibus etiam atq; apophysibus parvulisq; ossibus aliis deprehendere licet.

XV.

Reliqua, quæ de ossibus adducenda essent, nec *Dissertationis* hujus limites neq; instituti præsentis rationes admittunt; quare cum ossâ hoc loco cum primis considerentur, quatenus *Subjctum* constituunt *Cariæ*, nunc saltem aliqua exempla *ossium carie corruptorum* à fide dignis Autoribus suppeditata adducemus.

XVI.

Jam verò licet inter *ossa*, (quæ in corpore humano juxtâ *Galenum in lib. de ossibus 242.*, juxtâ *Riolanum lib. I. cap. 25. Enchirid. Anatomic. 256.*, juxtâ *Veslingium Anatom. Syntagm. c. 2. ultra 300.*, juxtâ *Rolfincium autem Dissert. Anatom. lib. II. c. 3. pag. 226.* accuratissimè computum instituentem 243.

numerantur, suborto hoc diffensu, propter annumerata vel omiffa ossa sesamoidea, vel ossa cum epiphysibus vel epiphyses seorsim recensitas) nulla à carie prorsus immunia sint, sequentia tamen ab Autoribus, qui mihi ad manus fuerunt, proposita inpræsentiarum enarrasse sufficiat. Nempe enim ossium capitis cariem peculiariter declaravit. *Ambrosius Paræus Chirurg. lib. IX. c. 20.* Ossis lacrymalis cariem *Paulus Barbette Anatom. Practic. pag. 104.* Maxillarum cariem *Claudius Deodatus* descripsit ad *Hildanum Centur. IV. Observat. 21.* Inferiorem maxillam penitus correptam in puellâ notavit *Schenckius Observat. Medicinal. lib. I. p. 213.* Dentium cariem *Daniel Sennertus lib. I. Pract. part. 1. c. 10.* Octavam & nonam vertebam in gibbofo juvene ita carie exesas deprehendit *Guilielmus Fabr. Hildanus Observat. Chirurgic. Centur. IV. Observat. 66.* ut nihil præter exteriores semicirculos & eorum processus repertum sit. *Excellentissimus DN. D. HOFFMANNVS Senior, Mense Octobr. 1674.* in cadavere virili tertiam costam, propter enatum circa illam steatoma ovi gallinacei magnitudinem superans, cariosam conspexit, & adstantium in Theatro Anatomico coronæ demonstravit. Cariem in costâ spuria continenter in subjectas carnes tantum acrioris ichoris emittentem, ut illis erosio prodierit inde fistula longa & anfractuosa, sic eludens quamcunque opem medicam, recensuit *Nicol. Tulpius Observat. Medicinal. lib. III. c. 28.* Cariem olecrani Juvenis cujusdam in Nosocomio Patavino A. 1672. notavit *DN. D. PRÆSES.* Metacarpi cariem memoravit *Marc. Aurel. Severinus Pyrotechniæ Chirurg. lib. II. part. 1. c. 160.* Ossiculum metacarpi pollicem sustinens exesum, non autem quod aliàs fieri solet nigrum, sed album ex communicatione *Dn. D. Mangolt. Medici Basiliensis* refert *Theophilus Bonetus Sepulcbreti lib. IV. sect. 2. observat. 25. p. 1543.* Ossis coxendicis magnam partem pestifero

humore erosam & in cinerem versam recensuit *Beni venius* cap. 79. abditorum, & ex eo *Schenckius lib.V. Observat. Medicinal. p. 805.* Ossis tibiæ cariem præter *Spigelium* proposuit *Isbrandus Diemerbræck. l. c. & Joh. Scultetus Armament. Chirurg. Part. II. Observat. 81. & 83.* Cruris fistulam cum ossis corruptione *Schenckius lib.V. Observat. p. 743.*, Femoris quinque fistulas ex vulnere sclopeti cum tumore & osse carioso designavit *Petrus de Marchettis Observat. Med. Chirurgic. 56.* Tandem ulcus cum ossis corruptione vid. apud *Forestum Observat. Chirurgic. l. VII. Observat. 12.* Spinam ventosam officulorum metacarpi Patavii vidit in nobili Studio *Marcus Aurelius Severinus lib.V. de reconditâ abscessuum naturâ.* In digito propter paronychiam male curatam sphacelo correpto, post amputationem aperto, nigredine tetrâ affecta ossa, quasi calcinata fuissent, cinerei coloris & friabilia evasisse *Theophilus Bonetus l. c.* annotavit.

XVII.

Declarato Subjecto pergo ad *Causarum* scrutinium, nam tum demum ex sententiâ *Aristotelis* scimus, quando *causas* cognoscimus, quæ cum in triplici censu obveniant scil. *Proxima, Antecedens, & Procatartica*, de singulis ordine loquar. Primum igitur *Causam proximam Cariei* denomino humorem acrem acidum corrosivum, intra poros ossium effusum, collectum, substantiam ipsorum corrumpentem. Humorem dixi acrem acidum, talem enim ejus indolem esse ex doloribus rodentibus lancinatibus, ossium albedine, lineis albis lardi instar inter carnem sæpe luxuriantem reptantibus, pureque acri colligimus. Hinc etiam evenit, quod in lue & reâ ubi acre ejusmodi acidum peccat vel corrosivum, vid. *Petr. Joh. Faber, Chirurgiæ Spagyricæ Sect. III. c. 13.* unâ cum ulceribus partium mollium, solidarum etiam continuum solvatur, doloresque nocturni varii ægros excrucient, uti eruditè docet sæpius jam laudatus nec

nec unquam pro merito satis laudandus *Excell. DN. D. HOFFMANNVS Senior, Sciagraph. Morbor. Contagiosorum Diss. XXVII. th. 9.* Adhæc si remedia spectemus cariem tollentia, deprehendemus ea potissimum juvare, quæcunq; acidi acrimoniam debellant, uti Θ ia lixiva tam fixa quàm volatilia, vel Ω us volatiles &c. notante *Cl. Francisco de le Boë Sylvio Prax. Med. Append. Tractat. III. §. 374.* Ne dicam jam curiositate permotos nonnullos, in humoribus ex ulcusculis vel gallicâ scabie refudantibus, acetositatem acrem vel aciditatem corrosivam gustu iudice explorâsse, sicuti affirmat *Cl. Dn. M. Adam. Purpius Med. Licentiatus Dignissimus, Fautor & Præceptor cum Wittebergæ viverem meus amicissimus in Disput. sua Inaugurali de Lue & eâ.* Liceat verò hîc etiam meminisse observationis, quam adstite eodem Viro honoratissimo ibidem habui, nempe enim in cane variorum indagandorum gratiâ cultro subjecto postquam viscera omnia fracida apparuissent, glandulas mirum in modum auctas & humore limpido repletas conspexi, hunc verò cum degustassem, gusta acrem acidum instar ∇ Fortis animadverti.

XVIII.

Sub *causæ antecedentis* nomine meritò veniunt portiones Θ inæ nimium per extraneam effervescentiam exaltatæ in liquore seroso dissolutæ & acrimoniam Θ osam Θ laceamq; aquirentes, sicuti eas eruditissimè exponit *Nobilissimus, Amplissimus, Excellentissimus atq; Experientissimus DN. JACOB. PANCRAT. BRUNO, Philosoph. & Medic. D. Theor. & Prax. in hac Universitate Prof. Publ. longè Famigeratissimus, Patronus & Præceptor meus omni observantiæ cultu & honore afficiendus in Notis suis ad Jessen. de sanguine venâ sectâ dimisso iudicium, pag. 186.* Hîc etiam spectat succi pancreatici, lymphæ, aliorumq; humorum sanguini associabilium excessiva aciditas, ex admissis intra corpus acidis, Ω u volatile tempe-

temperante deficiente aut subjugato, glandulis α um volatilem & \ominus lixiviosum cum oleo ac α u \pm do minùs miscentibus, vel per particularum adiposarum asfociationem edulcorantibus enata. Nec minùs ad hunc censum pertinent pravæ corporis constitutiones, scorbutica, melancholica, cacochymica serosa, item lues ♀ rea, ulcera & abscessus partium incumbentium carnosarum, &c. quæ certè in sinu suo abscondunt, taciteq; fovent causam proximam, donec ea in parte affectâ erumpat, vitiosamq; energiam exferat.

XIX.

Causæ tandem procatardicæ in rebus nonnaturalibus obvenientes variæ sunt. I. Siquidem Aër acribus acidis \oplus is imprægnatus particulis, præsertim Borealis, si quando denudata attingit ossa, malo huic januam pandit. II. Cibi acres fumo indurati, \ominus e conditi, assumta acida vel austera, potus acidi consimilesq; succi morbificam hûc conferunt symbolam. III. Corporis motus vehementior adaugendæ favet acrimoniæ, & certo respectu etiam quies nimia, fœcunda pituitæ aliàs mater dicta, quibus cum paria faciunt IV. Vigiliæ nimix, absumto α u volatili lympham acidiorum relinquentes. V. Retentæ præter naturam fuligines propter transpirationem impeditam, sudoris exclusionem aliàs consuetam intermissam, acre acidum in corpore miris modis accumulans, quibus cum paria facit alvus adstricta, sicuti notavit *Fr. de le Boë Sylvius lib. I. Prax. cap. II. §. 6. & cap. XI. §. 20.* idem de ceteris iudicium esto, quia humores pleriq; præter naturæ ordinem retenti acrescunt & acescunt. VI. Inter animi pathemata ad diathesin humorum acrem acidam potissimum mœror & tristitia suppetias ferunt, unde eruditè etiam docuit *Gualter. Charleton Exercitation. Pathologiar. VII. §. 30.* istos animi affectus succum nutricium corrumpere, α us obtenebrare & insignem melancholiæ proventum exaggerare.

rare. Quibus addimus unguenta aliasq; oleofas pinguedines acido quod gerunt abscondito nociva inconsideratius adhibita.

XX.

Atq; inde transeo ad *Signa*, præsentiam propositæ affectionis in aliquâ parte declarantia : Ea verò facile sensui patent, quando os renudatum est, tunc enim ejus color naturalis in lividum flavum aut nigrum degenerans cariem designat, prætereà os tunc pingue ac inæquale cernitur: Vid. *Paul. Barbette Chirurg. Part. II. lib. 3. c. 3.* Quòd si verò os conspectui minùs expositum sit, aliis opus habemus signis : I. itaque specillo per ulcus suprâ ossis incumbentem carnem exortum immisso explorare solent Chirurghi, an ossis superficies aspera obveniat & inæqualis, talis namque inæqualitas signum præbet corruptæ ossis substantiæ, cum primis si II. simul deprehendatur specillum levi appensione in ossis substantiam veluti cariosum lignum demergi, cariosum namq; os molle fieri assolet, quod naturaliter constitutum durum existit; quamvis hîc prudenter moneat *Ambrosius Paræus operum Chirurgicorum lib. XVIII. c. 26.* duritiem non esse certum integri ossis signum pronuntiandam, eò quòd ipsi visa sint cariosa ossa renudata aëris attactu ita aliquando induruisse, ut ne terebra quidem, nisi validissimo adhibito conatu, ea subire potuerit. III. Si fanies ab ulcere tenuior copiosior & magis foetida effluat, indicium perhibetur subjecti ossis carie corrupti. IV. Signum ejus præbet caro obtegens exulcerata, flaccida, spongiosa, pallida aut livida, nec per sarcotica aut epulotica consolidationem admittens. V. Si ulcus jamdum consolidatum ruptâ cicatrice denuò erumpat, delitescentis subtus ossis cariem manifestat, utpote suprâ quam caro firma nunquam succrescere solet, id quod præter experientiæ omnium rerum magistræ certissimum testimonium

nium exemplo dentium cariosorum confirmat *Dan. Sennert. Prax. lib. III. Part. 1. c. 10. & lib. V. Part. 2. c. 13.*

XXI.

Atq; ea fuerunt *signa diagnostica* cariei ossium, quæ in ejusdem specie *Spinâ ventosâ* ex parte quoque notantur, hujus verò *signa pathognomonica* eruditè proposita leguntur in *Pandolphini Tract. de Spinâ ventosâ c. VII. Petrum de Marchettis in fine. Sylloges Observat. Medico-Chirurgicarum*, & ex eo mutuata apud *Th. Bonetum Sepulchreti vel Anatom. Pract. lib. IV. Sect. 2. in Scholiis ad observat. XX.* quibus junge *notas* suprâ laudati *Dn. D. Merclini in Pandolphini l. c. pag. 191.* Nempe enim in *Spinâ ventosâ* I. omnium adest dolor *ὄσσεινος* instar puncturæ spinæ, nocturno tempore plurimum ingravescens. II. Partes affectæ existunt articuli. III. Externus tumor mollis, laxis, carnis atq; cutis exulceratio subsequuntur. IV. Malum hoc potissimum experiuntur adolescentes, & juvenes in ætatis flore constituti.

XXII.

Jam verò non sufficit solùm nosse, os carie corruptum esse, sed insuper scire oportet, quousq; corruptio osseam penetraverit substantiam? hoc verò cognoscitur, dum scalpris os deraditur, donec album & solidum conspiciatur, & sanguinis eruptio obveniat, utpote quæ signum constituitur ab *Hieron. Fabric. ab Aquapendente de Chirurgicis operationibus p. m. 176.* liquidò commonstrans, ad os integrum scalpro deventum esse. Signa hûc spectantia jamdum proposita latinus Hippocrates *Celsus de Re Medicâ lib. VIII. c. 2.* breviter & perspicuè nos edocet, ex quo sequentia hûc porrò afferre consultum videtur. Specillum tenue in foramen dimittitur, quod magis minusve intrando vel in summo cariem esse, vel altiùs radices egisse testatur. Nigrities quidem colligi potest etiam ex dolore & ex febre. Quæ ubi mediocria sunt, illa altè descendisse non potest.

Manifestior tamen adauctâ terebrâ fit. Nam finis vitii est, ubi scobs nigra esse desiit.

XXIII.

Diagnosticis signis hucusq; traditis subijcimus *Prognostica*: Quemadmodum igitur illa Caries faciliorem admittit curationem, quæ recens, exigua, in corpore non ultra modum impuro gignitur; ita contra difficilius medelam suscipit inveterata cum multâ sanie ac insigni foetore, putredinis adauctæ teste, in corpore cacochymico producta. Dein salutis spes major affulget, si caries in osse ficciori & solidiori, quam si in spongioso sedem inveniat. Adhæc si juxta nervosas partes, vel circa juncturas, tendines, arterias aut venas insignes ossium caries eveniat, ægrè sanatur, cum operationes chirurgicæ tutò inibi institui nequeant, vid. *Sennert. Prax. lib. V. part. II. c. 13.* quin tendo plerumq; aut nervus simul corripitur, vasa rumpantur, motusq; convulsivi, & periculosæ sanguinis profusiones metuendæ sint. Exinde autem patescit vi contrariorum, feliciorum curationem succedere, si os à superjacente carne sine vasorum, nervorum, tendinumq; periculo eximi possit, uti tradit sæpius citatus *Pandolphinus de ventosit. spinæ, c. 9.* nunquam enim sanatur æger, nisi sublato osse corrupto, & remotâ fluxione, ceu confirmat *Petr. de Marchettis l. c.*

XXIV.

Reliquum nunc est, ut *Curationem* gravissimo malo hucusq; declarato destinata aggrediar, quæ sequentibus potissimum comprehenditur *Indicationibus*: I. Ut futuris Humoribus acrimia acidorum affluxus ad partem affectam prohibeatur. II. Ut Humores iidem peccantes in fluxione existentes intercipientur, sistantur, & emendentur. III. Humores acres acidi actu jam præsentis, partemq; affectam corrumpentes, temperentur, absorbeantur, corrigantur, factaq; partis deperditio, ne ulterius serpat, prohibeatur.

XXV.

Primæ Indicationi satisfit per contrarium causis peccantibus rerum nonnaturalium usum, (quem quidem communem secuturus methodum, sub calcem hujus Disputationis adjiciam) dein per præsidia Pharmaceutica & Chirurgica.

XXVI.

Inter Pharmaceutica laudatissima censeo Diaphoretica tum Θ ina volatilia & Θ ia volatilia oleosa, Θ volatile C. C. viperarum, eboris, Θ volatile oleosum Sylvii, Ω . *ci volat. urinosum, Ω C. C. Tinct. Bezoard. Michael. &c. tum alcalina terrea acre acidum absorbentia, e.g. \dagger . diaphor. C. C. philos. ppt. & ustum, Bezoardicum minerale, Bezoardicum \mathcal{Z} iale, Lapidem Bezoar. Bolum armenam & similia. Ex quibus quisq; varias prolubitu poterit concinnare formulas, dum unicam me apposuisse sufficiat:

Rx. \dagger . diaphoretic,
C. C. absq; Δ ppt $\bar{a}\bar{a}$ $\mathcal{E}\beta$.
Bezoard. \mathcal{Z} ial. gr. vj.
Lap prunell. gr. iiij.
M. F. Pulv. Dr. ad chart.

Sigr.

Pülverlein zum Schwißen.

Rx. Aq. Scabios.
fumar. $\bar{a}\bar{a}$ \mathcal{Z} j.
Sambuc.
Card. benedic. $\bar{a}\bar{a}$ $\mathcal{Z}\beta$.
 Θ . volat. C. C. gr. iiij.
 Ω . *ci.
Tinct. Bezoard. Michael. $\bar{a}\bar{a}$. gutt. x.
Julap. Sambuc. \mathcal{Z} iiij.
Ms. dr. ad Vitr. Sgr.

Schwiß-Träncklein auf einmah!

Quibus accenseri possunt Decocta sudorifera, cum primis quando caries individuus luis venereæ comes esse solet, eaq;

eaq; inter notissimum Decoctum sic dictum lignorum, ex Rasurâ Ligni sancti, Sassafras, Rad. Sarsæparill. &c. parari solitum, additis postmodum pro majori efficacia ^u lignorum, vel Essentiâ Sassafras.

XXVII.

Eidem fini inserviunt diuretica, tum \ominus ina pariter volatilia, uti \ominus . volat. succini, Tartari, vel aliud, (\ominus . enim quodvis volatile diureticum esse experientiâ edoctus confirmat *Franc. de le Boë Sylvius lib. I. Prax. Medic. c. LV. §. 60.*) tum ☉ tantia e. g. ocul. 69., tali leporini, crysalli præparati. Hûc quoq; conferunt ea, quæ acidum morbosum in salisum transmutando per vias urinarias educunt, uti sunt Tinctura Tartari, Arcanum Tart. Arcanum duplicatum Mynsichti, \ominus ononidis, genistæ, & \ominus ia alcalifata reliqua: nec Emulsionem lacteæ temperantes hîc usu suo carebunt.

XXVIII.

Porrò silentio minimè involvenda est salivatio ☉ ialis, tanquam apophlegmatismus universalis, uti loqui amat *Excellentissimus Dn. D. Wedel. de Medicament. facultat. lib. II. Sect. 2. c. 12. p. 215.* præsertim si caries cum lue ☉ eâ concurrat, cujus $\rho\iota\zeta\omicron\tau\omicron\mu$ ab eodem Clariss. Viro ☉ ius pronuntiatur. Quòd si tamen mitioribus remediis acres acidos humores temperare non minùs quàm evacuare liceat, hoc remedii genus omitti poterit: Testatur enim ex *Fernelii Tr. de lue ☉ eâ, Fr. Decker. Exercit. Prædic. circa Medendi Methodum c. 3. p. 112.* si ☉ ialium assumptio nimis diu continetur, dolores omnium artuum atrocissimos, dolores capitis fixos intolerabiles, frigus totius corporis maximum, omniumq; penè ossium cariem &c. inde produci.

XXIX.

Purgantia si ab indicantibus postulata fuerint, hîc potissimum conveniunt blanda, post præmissa digestiva de-

centia usurpanda, quæ acidos humores attenuatos & adferi naturam deductos evacuent e. g. Electuarium hydragogum Sylvii, Pulv. rad. jalappæ; quibus ꝑium dulcem, Pulv. Comit. de Warwick, aliaq; stimuli loco associare licet. Dabo formulam unicam:

℞. Aq. fœnicul.
 petrosel. āā ʒiʒ.
 Cinamom. ʒiij.
 Syr. ros. solutiv. ʒʒ.
 El. bydragog. Sylv. ʒiʒ.
 Pulv. Comit. de Warwick. gr. ij.
 Ms. dr. ad Vitr. Sgr.
 Purgier-Träncklein.

Vehementiora autem & δεξιμα purgantia angue pejus & cane vitanda sunt, cum humorum acrimoniam augeant, sicuti ἀνεβῆς docet & demonstrat supra adductus, nec unquam sine debiti honoris titulo nominandus *Excell. DN. D. BRUNO, Exercit. de Remoris purgantium IV. Thes. 33.* exemplo raucedinis acido-salsæ & acris.

XXX.

Inter remedia Chirurgica propositæ Indicationi primæ subserviunt Venæsectio, Cucurbitulæ scarificatæ, fonticuli & vesicatoria in locis superioribus admovenda, ut humorum ad ossa cariota affluxuram portionem quasi revocent, evacuent, sicq; sanguinem ab acido ῥu exagitatam imminuendo meliorem quietem motumq; æquabiliorem præstent.

XXXI.

Secundæ Indicationi eadem opem conferunt medicamenta, quæ modò laudavi. Hûc etiam videtur facere unguentum à Paulo Barbette in *Chirurgiâ suâ lib. 3. cap. 3. pag. 196.* descriptum, si eo vicinæ partes, per quas ad cariosum os fit affluxus, modicè illinantur; nec abs re foret, si paulò suprâ partem affectam spongia vino rubro styptico, in quo cortex guajac. malicor. Fl. balaust. ros. rubr. Fol. plantag.

veronicae, Rad. aristol. rot. ver. &c. ebullierint, imbuta saepius tepidè admoveatur.

XXXII.

Interea dum hæc aguntur, ad *affluxuros æquè ac affluentes humores acres acidos emendandos* congrua in usum vocanda sunt medicamenta, qualia habentur I. jamdum laudata ☉ina volatilia, antiscorbutica volatilia, aromatica, singula alkali suo volatili tanquam contrario acida temperantia, humorumq; ☉. volatile argentia, II. ostracoderma sive testacea, à quibus acida non solum imbibuntur, sed & figuntur i. e. à motu & orgasmo prohibentur III. ☿ialia acidum absorbentia, prout facili sed tamen egregio experimento confirmavit *Gualter. Charleton. de Scorhuto c. 13. p. 203.* quòd si enim aceto acerrimo limaturam ☿. per noctis spatium indideris, postridie pro aceto aquam invenies, omni acore spoliatam. IV. ☉sa temperata, uti Tartarus ☉latus, ☉ digestiv. Sylvii. V. Opiata acrimoniam omnem demulcentia, violentamq; humorum effervescentiam conpescentia, e. g. Tinctura Opii vel sola vel cum Tincturâ anodynâ *Excell. DN. D. PRÆSIDIS* mixta, Laudanum opiatum aliis acido contrariis nuptum, ad exemplum Pulveris absorbentis *Cl. Dn. D. Wedel. Opiolog. p. 113. descripti.*

XXXIII.

Atque inde ad *tertiam me* recipio *Indicationem* partium affectarum medelam proximè exhibentem. Ubi primum omnium circumspiciendum, an os erosum aditum medicam manum admoturis concedat nec ne? Quòd si enim illud, uti in spinâ ventosâ accidere solet, à carne incumbente adhuc integrâ obtectum sit, hæc secundum longitudinem partis fibrarumq; ductum incidenda, vel cauterio aperienda, sicque ossis detectio procuranda est, cavendo tamen sedulò, ne arteria aut nervus insignis lædatur. Quòd si verò ulceri in carne exorto successerit ossis corruptio, sicq; foramen

ramen per illud ad hoc tendens occurrat, tale foramen dilatari debet per spongiam inceratam, aut radicem gentianæ, aut medullam sambuci intrusam, quæ imbibitis humiditatibus tumefactæ foramen ampliant.

XXXIV.

Aditu ad os corruptum patefacto, ut manus munere suo in remediis admovendis fungi possint, tunc si levior fuerit & superficialis caries medicamenta medelam afferre poterint alcalina, absorbentia, acris acidi acrimoniam debellantia adhibita, quæ inter notissima sunt: Cerussa, Tutia, Myrrha, Rad. Aristol. rotund. Rad. Iridis, Bryoniæ, Fol. betonic. Flor. ros. rubr. pulv. lign. guajac. sacch. Saturni, terra Oli dulcis &c. ex hisce vero pulveres componi & ossi carioso inspergi debent: *Guilielmus Fabricius Hildanus Observat. Chirurg. Centur. IV. Obser. v. 21.* maximè commendat Pulv. Euphorbii, quòd habeat proprietates, & propterea à *Diascoride* atque recentioribus Medicis ossibus cariosis applicatus sit. Hùc etiam pertinet *Pulvis catagmaticus* ab *Ambrosio Paræo Operat. Chirurg. lib. XVIII. c. 26.* descriptus, quem tamen cum filamentis lineis carptis, minimè verò cum melle, uti *Paræus* jubet, imponendum esse censeo.

XXXV.

Vitanda verò sunt pingua oleosa, utpote quæ inter poros ossium admissa malum adaugent. Ere igitur magis fore credo, si ulceris suprà os corruptum labia cum vino, cui cortex lign. sancti, Rad. Ireos, bryoniæ, myrrha, fol. betonic. modicè in cocta fuerint, abluantur, putredo tollatur, atq; saniei destillatio inhibeatur; admotis dein exterius Emplastr. de Betonic. vel Emplastr. desquamatorio utilissimo apud *Paræum* descripto.

XXXVI.

Ceterum nunc quæstio incidit an ad curationem cariei, ∇fortis ☉. Oli, sulphuris, ☉is, utpote corrosiva convenient, quæ

quæ à *Pandolph. de ventosif. spinæ c. 15.* & aliis Practicis passim adhibentur? sed sciendum I. tametsi in carie peccans humor sit acris acidus, & medicamenta hæc pariter existant acida, ea tamen neutiquam penitus rejicienda esse, quia unum alterius acrimoniam infringere potest, quemadmodum in Inupero Collegio privato Chémico, cui operam directionemque fidelissimè impendebat *Nobil. atq; Excell. DN. D. PRÆSES hujus Disputationis*, sub præparatione Bezoardici mineralis cernere licuit; ibi namq; constat butyrū ḡ ii magnam habere acrimoniam rodentem, & -um etiam acidum esse corrosivum, attamen postquam hic butyro ḡ ii affusus fuit, en illud pristinam amittit acrimoniam, & præstans evadit sudoriferum. II. Dein notandum, liquores ejusmodi acidos non tam ad curandam cariem, quàm ad partem corrupti ossis separandam adhiberi. Interim ut ingenuè fatear, non satis tutus videtur liquorum ejusmodi corrosivorum usus, in illis cum primis locis, ubi vicinæ accumbunt partes nervosæ aut tendinosæ, unde *Hildanus Observat. Chirurg. Centur. IV. Observat. 21.* ossibus mandibularum cariosis oleum Oli aut ∇ fortem adhiberi suadere noluit, idq; propter gravissimas causas. Quare eorum loco substitui posset Injéctio à *Cl. Barbette l. cit.* descripta:

℞. *Succ. chelidon. major.* ʒij.
Spirit. Vini. ʒj.
Myrrhæ.
Aloës. ãã. ʒij.
Oli alb. ʒj. *Msr.*

Vel illinitio fiat ex consilio *Job. Hartmann. Prax. Chymiatric. c. 204. p. 984.* cum § io dulci in Aq. plantaginis soluto, quæ nigredinem aufert.

XX XVII.

Medicamentis autem hucusq; recensitis nihil proficientibus, Operationes Chirurgicæ in subsidium vocandæ
 D sunt.

sunt. Quare si locus scalpæ deraforia admiserit, illis cari-
osa ossis pars abradatur, eousq; donec subtus delitescens sa-
na pars, ex soliditate, albedine, atq; sanguinis erumpentibus
guttulis dignoscenda, conspectum subeat. At enim verò
cum aliquando os cariosum vel naturâ vel à prægressâ ex-
siccatione ita induratum sit, ut scalpro deraforio solâ manu
admoto minùs cedat, jubent eo in casu Chirurghi scalprum
malleo plumbeo adigere, sicque adauctâ vi corruptas ossis
particulas (dein vossellâ eximendas) à sano præscindere,
qui tamen operandi modus non omni caret periculo, spe-
ciatim in capite, ubi ex validiori ictu factaq; cerebri con-
cussione aliqui muti facti, interdum nervi mollissimi rupti
sunt, interdum exigua vascula cum mortis subsecuturæ me-
tu vel sensus & motus mutilatione solutionem passâ sunt,
sicuti observavit *Hieronym. Fabr. ab Aquapend. in operat.
chirurg.* qui ad præcavenda ejusmodi mala seq. excogitavit
modum, ut sc. tam vertex scalpæ quàm caput mallei panno
obvolvatur, ita enim ictus non offendet.

XX XVIII.

Quod si nec ferro propter Cariei malignitatem & pro-
funditatem Curatio absolvi possit, ad Δ em tanquam ex-
tremum remedium deveniendum erit: Quapropter caute-
rium actuale admoveatur, quousq; spumans humiditas
per ossis poros exsudare desinat, ut tunc demum squamæ
abscedant, quæ tamen non vi revellendæ, sed lentè & leni-
ter, postquam natura operculum quasi carneum sano ossi
interjecit, separandæ sunt. Huic negotio optimè infervit
cannula ferrea utrinq; perforata ferramentum candefa-
ctum suscipiens, ita namq; simul vicinæ partes sanæ ab Δ is
& humoris sese diffudentis contactu præmuniuntur, quæ
aliàs emplastro aliquo defensivo instar circuli circumducto
defendendæ sunt.

XXXIX. Hoc

XXXIX.

Hoc factò pro adjuvandâ desquamatione pulvis catagmaticus *Paræi* supra citatus, vel pulvis fol. betonic. fl. rosar. rubr. cortic. granat. cum tantillo O usti inspergatur, vel cum filamentis lineis carptis immittatur; squamæ autem neutiquam vi avellantur, sed totum negocium naturæ permittatur, quæ non ante squamas depellere solet, quàm ipsis carnem subjecerit, teste *Paræo operum Chirurgic. l. IX. c. 18.*

XL.

Separatis autem squamis Sarcotica & Epulotica agmen medicamentorum, solutionemq; continui claudant, quo in censu occurrunt, Emplastr. Vulnerarium *Barbettianum*, *Chirurgiæ lib. II. c. 7. p. 172.* descriptum, Emplastrum de plumbo, Amalgama ii cum plumbo paratum, à *Paulo Barbette l. c. p. 174.* summè laudatum, si Emplastro de plumbo aut diapompholygos admisceatur.

XLI.

Tandem id monendum restat, si os aliquod majus caries apprehenderit, neq; ea auxiliis quibuscunq; tolli possit, & vitam amiserint superincumbentes partes molles, ut reliqua pars corporis tuta sit (quandoquidem malum semper ulterius serpit,) membrum illud abscindere fatius esse. Vid. *Joh. van Horne Microtechn. Sect. II. Part. 1. §. 32.* Similiter *Petr. de Marchett. in Syllog. Observat. Medico-Chirurg. rarior Appendic. de Spinâ Ventosâ* docet, si accidat, ut totum internodium, maximè in pueris, digiti manus vel pedis sit corruptum, hoc in casu neq; Δ . neq; ferramenta juvare, sed eorum loco utendum trepano tenuiori, eoq; perforandam mediam partem illius, ab hâc verò forficulis affabrè in hunc usum paratis, partes laterales secandas, atq; totum internodium paulatim educendum esse vossellâ,

cujus in locum progressu temporis caro succrescens durior facta & callosa ossis vice fungitur.

XLII.

Nunc priusquam telam hujus opellæ abrumpam, de Diæta sive rerum nonnaturalium usu congruo adhuc aliquid dicendum erit. **I.** Aër eligatur temperatus purus, & ab eo frigido quantum possibile ossa cariota custodiantur. **II.** Cibi acres acidi, & conditi, fumoq; indurati vitentur, ut & illis similes potus. **III.** Quies præ motu, & **IV.** Somnus præ vigiliis expetatur, vel consueta alternatio observetur. **V.** Excernenda ad naturæ leges urgeantur. **VI.** Inter Animi pathemata Iræ furor brevis coërcatur, terror item repentinus præcaveatur.

T A N T U M!

COROLLARIA.

- I.** *Lienem in statu naturali fæculentiarum melancholicarum hospitium esse negamus.*
- II.** *Experientia certitudinem debet rationi, ratio experientie.*
- III.** *Primam vitæ nostræ choream fermentatio ducit.*
- IV.** *Θia in corporibus animantium volatilia Fermentis & Aëri ortum suum acceptum referunt.*



PRÆSES

NOBIL. & CLARISSIMO

DN. MAGNO MASSON,

Dissertationis hujus Autori
doctissimo,

Amico & Auditori suo æstumatissimo

S. P. D.

Quod apud Romanæ Eloqventiæ Prin-
cipem scriptum legimus : Eruditum
oportere semper aliquid ex se promere,
quod alios delectet, aut seipsum laudibus illu-
stret : Id uti ad optima quæq; nati sibi etiam
dictum esse putant, ita Tu, mi amatissime
MASSON, (liceat amicâ hâc compellatio-
ne propensum animi mei affectum exprime-
re) ad mentem hucusq; seriò revocâsti, &
tandem specimen Studiorum Medico - Chi-
rurgicorum egregium luci publicæ dare con-
stitui-

stituisti. Delectabit hoc alios pulchritudine
 suâ, pulchra namq; novimus quæ difficilia,
 dum afflictionem gravissimam columnas &
 fulcra humani corporis evertentem concin-
 no ordine exhibet. TE verò laudibus illu-
 strabit, quia luculentum præbet testimonium
 industriæ Tuæ Phœbo ejusq; sorori notissimæ,
 nec enim cum caput ille Hesperias conderet
 sub undas ingenii ardorem tepescere passus es,
 sed facibus iis universis, quas vesper accen-
 dit, hunc ad novum laborem excitari vo-
 luisti. Laudibus TE illustrabit noticia os-
 sium Anatomica, in Dissertatione Tuâ hinc
 inde stricturis nitidis emicans, tanti à Ga-
 leno olim æstimata, ut ejusdem addiscendæ
 gratia discipulos suos ad scholam Ægypti ce-
 lebratissimam Alexandrinam ablegaverit.
 Thebis legem latam fuisse ferunt, ne pictores
 delineandas imaginum formas susciperent, nisi
 qui arti suæ præfiderent, & operam peritissi-
 mæ

mè præstare possent : Tibi indefesso Medicinæ
 cultori , dum erudito penicillo Cariem de-
 signas , si talis lex posita esset , ne utiqvam
 metum incuteret , in eâ namq; re ingenium
 experiris , ubi omnia præstare potes adjutus
 Chirurgiæ adminiculo , cui oculos manumq;
 quondam commodâsti , optimè gnarus illius
 Quintiliani effati : Inspectione & exercita-
 tione artes constare. Maeste hoc animo ,
 Amice suavissime , conscende cathedram ,
 eruditionem Tuam sermone porrò pande , &
 ut cuncti Te videant loquere ! Ego ex ve-
 teri formulâ acclamo Feliciter , Tibiq; qui
 labori hucusq; litasti , ut eventui ac fortu-
 næ mox litare possis sincerè roveo. B. V.

Dab. è Museo
 inter occupationes,
 D. xiv. Decembr.
 A. R. S.
 CIO IO C LXXXI.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

Faint text in the bottom right corner, possibly a signature or date.

COROLLARIA.

1. *Omniium metallorum & mineralium tinctura & essentia datur.*
2. *Lapis Philosophorum in rerum natura est.*
3. *Nulla datur Saga, qua per se et propriis viribus operetur.*
4. *Neq; Paracelsus, neq; Basilus Valentinus, neq; Cornelius Agrippa, neq; Trithemius Magus diabolicus fuit.*

PERERUDITE OHMI,

EXamustim *Hermolaus* olim: *Ἀλέμαρτος ὁ πᾶς βίος, ἔδεν ἔχων πῖσόν!* Idem accidit scientiis ingenuisque artibus. Mutant homines, & indices ab hominibus mutantur! Sic olim, quod apud plurimos lego, *Persarum lingua Magus est, qui nostra Sacerdos*: scil. ritè nosse, atq; scire atq; callere leges ceremoniarum, fas sacrorum, jus religionum! Siquidem *Magia id est, quod Plato interpretatur Θεῶν θεωρητίαν*, sunt verba Apuleji in Apolog. p. m. 144. Haftenus vero longe audit aliter. Recte igitur facis, **PRÆSTANTISSIME JUVENIS**, qui pro gnavo in **Arte & Natura** Tuo ingenio, atq; curatura doctiore Magorum moder-

E der-

demonium agrimoniam de formem, saepe inscienter laban-
 tem è Syrtibus τ βασινισῶν in aliquod salutare quasi educi
 vadum. Laudo ardorem & sollertiam tuam diligentissi-
 mam, qua te vere γνήσιον Filium Patris Optimi Viri Pl. Re-
 verend. atque Præclarissimi DN. IOH. GEORG. OHMI
 Eccles. ad S. Spirit. Pastor. Prim. Viri rerum naturalium
 apprime experti, Fautoris atque Amici mei dulcissimi
 probas, insimulque contestaris

FORTES creati FORTIBVS & BONIS !

Υπερασπισὺν habes Celeberrimum WINCLERUM
 πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων ! Ita Musæ Corollam non immar-
 cescentem vertici tuo, siquidem ἐκ θυμῶ φιλέοντι, ex ani-
 mo amant, uti canit Bion in Bucolicis.

Epicharmus oppido bene:

πρεπόντων πόνων πωλῆσιν ἅμιν πάντα τ' ἀγάθ' οἱ θεοί.

Convenientibus laboribus vendunt nobis omnia bona Dii

Et hoc solamini est egregio:

τῆς ἐπιμελείας δῶλα πάντα γίνεσθαι:

Omnia diligentiae subijciuntur!

verissime ita judicante Antiphane apud Stobæum
 Serm. XXVII. Perge OHMI Nobilis!

Eja caret nunquam sic OHMIVS omine fausto

Si Superi faveant, omnia fausta satis!

PP. οἰστάχιστα ἀλλά μὲν ἀνυποκριτῶς ἐ Museo meo Heide-
 berg IV. Id. Novemb. CIO IO.C XXCI.

GEORGIVS FRANCVS.

Med. & Phil. D. & Prof. P.

Elect. Univers. Pro-Can-

cellarius, Nat. Cur. Colleg.

